

Origo activa in Patre et Filio, et passiva in Spiritu Sancto: quatuor igitur Origines numerantur.

169. III.^a Pars prob. I.^o Tamen *nota*: aliquos theologos cum Durando docere; Notiones potius in nobis, quam in Personis divinis, inveniri; nam, ajunt, nihil illae aliud sunt, quam nostri Personarum conceptus. Quod si ita definiantur Notiones, planum est in nobis tantum existere. Verum si res ita se habet, adjiciant oportet, inveniri Notiones, pari ratione, in Angelis et in Deo, cum proprios magisque adaequatos habeant divinarum Personarum conceptus. Notio ergo, ut optime declarat S. Basilius (1), «est proprium »et discretivum signum quo unam Personam ab alia discernimus.» Unde nihil obstat, quod divinae Notiones, licet nomen a nostris cognitionibus desumptum sit, in Deo esse dicantur.

170. His positis facile patebit, quinque esse Notiones. In primis tres relationes personales sunt verae Notiones; nam Paternitate discernimus Patrem, Filiatione Filium, Spiratione passiva Spiritum Sanctum: ut ait enim Eugenius IV (2). «Pater tantum est Pater, Filius tantum est Filius, Spiritus S. tantum est »Spiritus S.»

Deinde Spiratio activa, licet non aequali proprietate, tamen, communi Theologorum sensu, inter Notiones computatur. Est enim propria Patris et Filii, et per illam eos dignoscimus, tamquam unum principium, seu Spiratorem Spiritus Sancti. Deinde per hanc Notionem ipsum etiam Spiritum Sanctum cognoscimus, cum non possit ejus propria relatio, sine opposita et correlativa relatione, dignosci.

Denique Innascibilitas, seu *Improducibilitas*, jure a Theologis inter Notiones computatur. Cum enim sit ordo originis inter divinas Personas, nequeunt perfecte cognosci, nisi aliqua ut prima et improducta significetur. Hanc peculiarem Patris dignitatem Notio Innascibilitatis refert.

171. *Corollar.* Ex dictis concludes, Notiones non distingui realiter a relationibus vel Personis, quas discernunt, sed ratione tantum. Eaedem enim relationes, quatenus nobis notas suppeditant ad dignoscendas positive vel negative Personas, Notiones vocantur.

(1) Epist. 43.—(2) Supra, c. I, Thes. I.

ARTICULUS III.

De virtute et perfectione Proprietatum.

THESIS XVIII.

In sola proprietate personali non intelligitur virtus seu principium *quo* actuum notionalium, id est, generandi et spirandi.

172. *Nota* I.^o *Actus notionales* nihil aliud sunt, quam Origenes, de quibus in Thes. praec. egimus: generare, nasci, spirare, spirari. Dicuntur *notionales*, quatenus Notionibus identificantur; *actus* autem ut sunt via ad terminum, seu actuatio termini. Licet hujusmodi actuatio ad modum actionis et passionis significetur, *generare, generari*; non intercedit tamen quid similis mutationis et imperfectionis. Ex parte enim producentis non est alia actuatio praeter ipsius esse relativum, ut actuale principium cogitatum: ex parte vero producti, non datur alia passio quam ipsius personalis relatio veluti in fieri concepta.

Nota II.^o In omni generante intelligere oportet potentiam generandi, et in spirante virtutem spirandi: potentia enim significat id *quo* producens producit, generans generat.

Nota III.^o In persona producente est natura et proprietas personalis. Disputant propterea Theologi utrum in natura, an in proprietate, vel potius in utraque intelligere oporteat virtutem generandi et spirandi.

173. Prob. I.^o argumento, quo utitur Eximius D. (1). Ex communi Patrum et Doctorum sensu, Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem. Sed intellectus et voluntas non sunt proprietates personales: ergo in sola proprietate personali non intelligitur virtus actuum notionalium.

Ut vim hujus eludant argumenti, inducunt adversae sententiae Auctores quemdam intellectum, et consequenter voluntatem quamdam personalem. Verum tales facultates personales et sunt fictae occasione opinionis, quam impugnamus, et fuerunt Patribus ignotae; insuper rejiciuntur ab Agathone in Fidei Instructione, ad Imperatores et Concil. Constantinopolitanum missa, quam PP. unanimi consensu susceperunt. «Nam, ait Pontifex, si «personalem quisque intelligat voluntatem, dum tres Personae in

(1) L. 7, c. 5, n. 7.

»S. Trinitate dicuntur, necesse est ut tres voluntates personales, et tres personales operationes, quod absurdum est et nimis profanum, dicerentur. Sin autem, quod fidei christianae veritas continet, naturalis voluntas est, ubi una haec natura dicitur sanctae et inseparabilis Trinitatis; consequenter et una naturalis voluntas, et una naturalis operatio intelligenda est.»

174. 2.^o Prob. ratione è D. Thoma deprompta (1). Paternitas est proprietas personalis habens se ad Personam Patris, sicut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Sed forma individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est, quo generans generat; alioquin Socrates generaret Socratem. Ergo neque Paternitas potest intelligi ut *quo* Pater generat, sed est constituens Personam generantem; alioquin Pater generaret Patrem.

175. 3.^o Probat Scotus ex absurdo. Si Paternitate, tamquam potentia, Filius produceretur, esset quaedam generatio aequivoca et imperfecta. Quod potest ita declarari: cum Paternitas sit dissimilis et opposita Filiationi, Paternitas producens tenderet directe ad dissimile: jam vero id opponitur naturae generationis.

THESIS XIX.

Potentia, seu principium formale producendi est sola essentia; postulat autem in Persona producente relationem propriam, seu quod habeat ipsam naturam sine tali productione.

176. 1.^a Pars elucet ex dictis: nam rationes allatae evincunt actionem Paternitatis, personaliter sumptae, non posse habere perfectam rationem generationis, neque esse actionem intellectivam: si ergo productio Filii penderet partialiter a Paternitate tamquam a principio formali, non esset adaequate talis productio generatio, nec Filius adaequate Filius et Verbum.

Id quoque confirmant Hilarius et Damascenus, apud D. Thomam (ibid.). Basilius autem (2) passim docet Patrem natura genuisse Filium: «Deum ex se ipso, natura divinâ modoque Deum decente, genuisse genuinum Filium...» Cyrillus (3) ait: «essentiam esse virtutem generativam Dei: creandi virtutem et generandi in una esse natura.» Anselmus autem (4): «Non ex relationibus suis, quae plures sunt... sed ex ipsa essentia sua... emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum.» Vide alios PP. apud Ruiz (5), praesertim Damascenum (6).

(1) P. 1, q. 41, a. 5.—(2) L. 5, *contr. Eunom.*—(3) *Thesauri* l. 1, c. 7 et 8.—(4) *Monol.* c. 52.—(5) *Disp.* 100, Sec. II.—(6) *De fide* l. 3, c. 14.

177. II.^a Pars patet. Nam generare et spirare sunt actus notionales seu personales, ut dictum est: ergo opus est ut includant aliquatenus Personalitatem et cum ea connectantur. Deinde principium a principiatio distingui realiter debet, producens a producto: non potest autem in divinis distingui ut principium *quo*; ergo ut principium *quod*, seu ut includens Personalitatem.

178. Objic. 1.^o Plures Patres ita loquuntur, ut ad Personam Patris pertinere generationem doceant. Resp. pertinere ut ad principium *quod*, sicut ex II.^a parte Theseos constat; conc.: ut principium *quo*; nego.

Inst. Damascen. (1) ait: «Omnia, quae habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi excepta.» Ergo ipsa virtus, seu potentia, est personalis.

Resp. Nego assertum. Nam Damascenus ait: «Excepta *ingeniti* proprietate,» quibus nostram confirmat thesim.

179. Objic. 2.^o Distinctio fundatur in productione: ergo vis producendi debet esse distincta a re producta. Nam si eatenus vis producendi distinguit quatenus producit; ergo si immediate producit, immediate distinguit, seu est per se distincta.

Resp. Dist. *ant.* Distinctio fundatur in productione, *formaliter*; nego *ant.* Tamquam conditione; conc. (Vide supra n. 160). Deinde dist. ultimum *consequens*: si immediate producit, immediate distinguit *formaliter*; nego. *Consequenter*; subd. A principio *quod*; conc. A principio *quo*; nego. Vide sanctum Thomam (2).

180. Objic. 3.^o Essentia non distinguitur a Persona producta: ergo si Essentia est virtus seu potentia, qua Persona producit, Essentia producit se ipsam.

Resp. Quemadmodum Essentia non producit, licet Persona, cum qua idem realiter est, producat; a fortiori dicendum, quod neque se ipsam producit, licet virtute illius Persona producat Personam. Unde negatur consequentia; quod enim non est productum multo minus poterit esse a se productum. Potes etiam distinguere *ant.* Non distinguitur actu; conc. Virtute; nego *antecedens*.

THESIS XX.

Relationes, ut virtualiter distinctae ab essentia et secundum conceptum *ad*, dicunt perfectionem.

181. Nota I.^o Perfectio est integritas praedicatorum asserentium suo constituto rationem boni, amabilitatem et exclusionem mali. Ita Izquierdo (3), cum aliis Theologis.

(1) Lib. 2, de Christi volunt. n. 11.—(2) P. 1, q. 41 a. 5, ad 1.—(3) D. 13, de Deo, q. 2.

Nota II.^o Prima opinio negat relationes indicare perfectionem: ita communiter Scotistae et Thomistae, Salmant. Gonet, etc.

Secunda affirmat: ita nostri Doctores communiter, cum Suarez, etc.

182. Prob. 1.^o Vel relatio divina consideratur in se; et sic, cum nihil illi desit in ratione relationis divinae, debet dici perfecta, imo infinite perfecta: vel perspicitur in ordine ad ipsum Deum; et hoc modo est Deo convenientissima et sufficientissima ad se multo melius et perfectius communicandum, quam per Incarnationis mysterium; quod quam sit excellens et perfectum et Deo conveniens, in tract. de *Deo Incarnato* dicendum, Deo favente: vel, denique, perpenditur ejus excellentia; et haec tanta est, ut sit identificata cum Essentia omnipotenti, sapientissima, infinita.

Confirm. Quoad participandam divinam Naturam, superant Relationes divinae gratiam, visionem beatificam, unionem hypostaticam: ergo majorem dicunt perfectionem.

183. 2.^o S. Epiphanius ait (1): «Honoratur Pater, secundum quod est Pater; honoratur Filius, prout est Filius; honoratur Spiritus S., prout est Sp, Sanctus.» Et in praefatione de *Trinitate* ait Ecclesia: «Ut in personis proprietas, in Essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas.» Sed nequit honorari quod non habet perfectionem et quidem excellentem: ergo relationes dicunt perfectionem. Gregor. Naz. (2): «Deo quidnam majus ac praestabilius erit, quam Filii Patrem esse..., quemadmodum et Spiritus pro ductorem esse?» Cyrill. Alex. (3): «Perfectus est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater.» Numquid poterant Patres isti thesim nostram lucidius tradere? Item S. Thomas (4): «Non potest Patri esse plenum gaudium de se ipso nisi in Filio.» Synodi Constant. Patres dixerunt (epist. ad Damasum): «Credimus aequalem honorem ac Divinitatem in tribus perfectissimis subsistentiis.» Ecce, non solum perfectae, sed etiam perfectissimae!

184. 3.^o Relationes, formaliter secundum *esse ad*, sunt modus existendi in divinis: vide Damascenum (5). Sed modus existendi in rebus creatis apponit perfectionem ultra essentiam: ergo a fortiori in Divinis. *Major* ex dictis patet: nam per relationes constituuntur Personae et distinguuntur; Deus est realiter trinus; natura communicatur, etc.

4.^o Subsistentia Verbi, quatenus virtualiter ab Essentia distinguitur, terminat et complet naturam humanam Christi, et supplet eminenter creatam subsistentiam. Sed nihil potest compleri, termi-

(1) Anchorat n. X.—(2) Orat. 23, 3, de pace n. VII.—(3) Thesaur. l. 1, c. 6.—(4) Q. 9, de Potent. a. 5, ad 24.—(5) L. 1, c. 9, 10 et 11, de Fide.

nari et suppleri per *id*, quod nihil habet perfectionis: ergo Verbi divini subsistentia perfectione non caret.

185. Objic. 1.^o Si Relationes sint perfectiones, complexum illarum erit quid perfectius quam una tantum. Sed hoc dici nequit; ergo perfectione carent.

Resp. nego *maj*. Nam quaelibet divinarum Relationum formaliter identificatur cum essentia infinita, ideoque nihil illa majus esse potest.

Objic. 2.^o Perfectio Paternitatis repugnat Filiationi; ergo perfectio relativa Filii erit necessario finita.

Resp. Dist. *maj*. Perfectio formalis repugnat; conc. Perfectio aequivalens; nego. Dein nego *consequentiam*; quia tota illa Paternitatis perfectio habetur aequivalenter in Filiatione. Unde Nazianzenus ait: (1). «Si magnum Patri est, a nullo profectum esse; non minus illustre Filio est ex tali Patre prodivisse.» Quaelibet, scil. Relatio est summa perfectio relativa in se, et quodlibet incrementum in eo ordine est chimaericum. Deinde quaelibet Relatio est formaliter identitas cum essentia, ideoque incrementi in perfectione est prorsus incapax.

Objic. 3.^o Si sunt perfectiones Relationes divinae, erunt in Deo tres perfecti, tres boni, tres immensi, tres aeterni, etc. Atqui ait Athanasius in Symb. Non tres aeterni... non tres immensi... non tres increati; ergo perfectiones non sunt.

Resp. Dist. *maj*. Erunt in Deo tres perfecti, aeterni, etc. *absolute*; nego *maj*. *Relative*; conc., sicque intelliges Athanasii dictum.

SCHOLIA.

186. I. Cum Proprietates personales sint tres perfectiones relati-vae, quaerunt Auctores utrum dici possit esse *tres res*? Sane, quatenus *res* est quid absolutum, tres Personae sunt *una summa res*, ut ait Later. IV. c. *Damnamus*. Quia vero *res* de trascendentibus est praedicatis, et ideo ad relationes quoque pertinet, possunt Personae *tres res* dici. Ita Anselmus (2), D. Thomas, Suarez, Vazquez, etc. Eadem ratione dicentur *tres veritates, tria bona*, scilicet *relative*; quidquid alii sentiant.

187. II. In questionem magis vertitur, utrum Proprietates *tres existentiae* etiam dici valeant. *Absolute* quidem, nullum est dubium, tres Personas unum habere *esse*, seu unam *existentiam*: tres autem esse existentias *relativas* negant communiter thomistae:

(1) Orat. 3, theol. n. XI.—(2) De Incarn. Verbi, c. 1.

affirmant autem cum Bonaventura, Scotus, Suarez, etc. Granadus, et Ruizius a Montoya ajunt esse de *nomine* quaestionem. Ex dictis autem sat clarum videtur: si enim *tres res* sunt et tres reales *perfectiones*, tres quoque reales *existentiae relativae* dicendae: existentia enim nihil est aliud quam esse reale, ut supra, cum S. Thoma, diximus (1).

Item tres *formas* relativae dici posse, apertum videtur, cum sint tres proprietates constitutivae in esse Personae. Ita loquuntur Divus Thomas, Ruizius, etc.

188. III. Ne in singulis immoremur perpendendis praedicatis, nonnullae Regulae generales lucem praebent ad caste de tanto loquendum mysterio.

I.^a Ab iis abstinendum praedicatis, quae proprietates absolutas seu Naturam in Deo multiplicant; vel è contra, quae numerum excludunt proprietatum relativarum seu Personarum. Unde non dices, *aliud* esse Patrem, *aliud* esse Filium: non negabis *aliud* esse, etc.

189. II.^a Abstracta, quemadmodum et concreta, relativa nequeunt ad invicem praedicari; ut *Paternitas est Filiatio*, vel *Pater est Filius*: at quaevis proprietas abstracta (sive absoluta, sive relativa) potest de se ipsa in concreto dicta praedicari: ut *Deus est Deitas*, *Pater est Paternitas*, *tres Personae sunt tres Personalitates*, *Pater est Deitas*. Ratio est, quia in posterioribus datur identitas realis; è contra in prioribus.

190. III.^a Concreta essentialia substantiva non possunt de Personis praedicari pluraliter; ut *tres Personae sunt Dei*: è contra, si adjective essentialia sumantur; ut *Personae sunt divinae, omnipotentes*, etc. Si tamen adjectivum in sensu accipiatur substantivi, neque dici pluraliter licebit: sic ait Athanasius: «non tres aeterni, sed unus aeternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.»

191. IV.^a Concreta relativa substantive affirmantur de essentialibus, sive concretis, sive abstractis; ut *Deus est Pater*, *Deitas est Filius*: at relativa adjective non praedicantur de abstractis essentialibus, ut *Deitas*, vel *Essentia gignit*: nam requiritur distinctio realis inter generantem et genitum, quae falso tribuitur Deitati simpliciter dictae; sic enim abstrahitur a personis, in quibus solis est realis distinctio.

192. V.^a Actus notionales propriissime praedicantur de respectivis Personis, propriis nominibus, in concreto sumptis; ut *Pater gignit*: non autem in abstracto sumptis; ut *Paternitas gignit*: quia

(1) Disq. V, n. 20 et 25.

cum actiones tribuuntur formis abstractis, innuitur influxus formalis talis formae in actionem; hic autem influxus non spectat ad proprietates relativae, sed ad essentiam, ut dictum est (1).

193. VI.^a Actus notionales recte praedicantur de Deo significato per essentialia in concreto sumpta, ut fides ipsa docet: sic dicitur: *Deus de Deo*, *Filius Dei*, *Spiritus Dei*, etc. Ratio est, quia essentialia in concreto significant suppositum; et ideo pro qualibet Persona supponunt, secundum exigentiam praedicati.

CAPUT IV.

De singulis Personis particulariter.

ARTICULUS I.

De Patre.

THESIS XXI.

Patris proprium primum est esse Patrem; esse Ingenitum, seu carere Origine; et esse Principium Divinitatis.

194. I.^a pars prob. 1.^o Ex dictis supra (2).

2.^o Esse Ingenitum est quid negativum; ergo praesupponit aliquid positivum, ideoque prius esse Patrem, quam esse Ingenitum. Deinde eatenus est Pater divinitatis Principium, quatenus gignit et cum Filio spirat: ergo illi primum est proprium esse Patrem. Unde Basilius, quid Patris proprium sit evolvens, ait (3): «Deitas communis est, proprietates vero sunt Paternitas et Filiatio. Ex utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innascitur nobis comprehensio veritatis.» Et Athanasius (4): «Pietati et veritati magis consentaneum, Deum ex Filio nominari, Patremque appellare, quam..... non factum dicere..... Vox Patris simplex est atque in divinis Scripturis usitata, magisque veritati congruit, et Filium dumtaxat significat,» (id est, ad Filium refertur). «In sola divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie

(1) Thes. XVIII, n. 172.— (2) Nn. 148, 158. — (3) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 28. — (4) *Or. 1, contr. Arian.* n. 34.